



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

Sectio Prima. An, & qui error reddat actionem honestam, & meritoriam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

quo modo spectantem ad finem, nempe qualis sit differentia Angelorum. Secundo idem S. August. iterum tuam ignorantiam fatetur in re tanti momenti, quantum est, an omnes animæ ab una procedant; & dicit *l.c. cap. 12.* se vehementer optare, ut Deus per Orosij preces hanc a se auferat. Tertio hoc eodem S. Aug. *cap. 12.* subdit de se: *Multa alia similiter nescio, que commemorare, vel numerare non possum.* Quarto *lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 16.* post medium, dubitat, an uxor à marito dimissa committat adulterium, si primo viro superstiti, alteri copuletur; & paulò infra dubitat, an aliquando liceat uxori, consentiente suo marito, commiseri alteri; & relato casu Antiocheno subdit: *Nihil in hac parte disputo, liceat cuique estimare, quod velit.* Demum *Epist. 65. ad Paulinum,* frequenter suas circa Dei legem ignorantias, & dubia eidem Paulino exponit: ergo tam certum est Celladeum falli, quam certum est, quod tradidi ex S. Augustino, cuius loca recitat P. Teril. *l.c.* Quare, dum alibi S. Augustinus ait, veritatem esse invenibilem, vult tantum veritatem pertinentem ad ea, quæ sunt simpliciter necessaria necessitate mediæ salutem, esse invenibilia, ex.gr. veram fidem, Dei existentiam, animæ immortalitatem.

N. 188. Tandem præterire nolo argumentum,

quod trahit P. Teril. *l.c. n. 10. contra Eliz.* do enim omnem veritatem esse invenibilem, numquid hanc invenit Celladei, dum negat licitum usum opinionis probabilis? an non potius nos eam invenimus, dum affirmamus licitum usum illius? Sanè si stemus S. Augustino *lib. de quantitate animæ cap. 7.* Aliud est cum auctoritati credimus, aliud cum rationi; auctoritati credere magnum compendium est, & nullus labor: & paulò post loquendo de imperitionibus, *Quorum profectò,* (inquit) *maxima multitudo est, si ratione velint verum comprehendere, similitudinibusque rationum facile decipiuntur, & in varias noxiasque opiniones ita labuntur, ut emergere inde, ac liberari, aut numquam, aut ægerime queant.* His ergo utilissimum est excellentissima auctoritati credere, & secundum hoc agere vitam; quod si tutius putas, non solum nihil resisto, sed etiam multum approbo. H. c. S. Augustinus. Ecce S. Doctor luadet maximæ hominum parti, immò ut tutius proponit excellentissimæ auctoritati credere: ergo cum auctoritas favens benignæ sententiæ sit excellentissima, & longè maior, quam favens sententiæ rigide, & multo maior, quam singularis opinio P. Eliz. utilius, & tutius erit illam, quam hanc sequi auctoritatem. Plura alia P. Teril. ex quo hæc ferè ad verbum deprompsi.

P. Eliz.
P. Teril.

DISPUTATIO VI.

De errore invincibili honestatis in ordine ad honestandam actionem.

SECTIO I.

An, & qui error reddat actionem honestam, & meritoriam?

§. I.

Status questionis.

SUMMARIUM.

DD. tuentes, & negantes, quod error invincibilis honestam, & meritoriam reddat actionem sub eo positam, n. 1. 2.

N. 1.



GNORANTIAM, & errorem invincibilem legis, & malitiæ excusare actionem sub eâ elicitam à peccato, satis probavimus. Videndum modò, an invincibilis error honestatis, & præcepti red-

dat honestam, & meritoriam actionem sub eâ elicitam; id est, an sicut ignorantia, & error, quod actio non sit mala, nec sit vetita, tollit ab eâ actione malitiam formalem, ita etiam invincibilis error, quod talis actio (sive ex se indifferens, sive ex se intrinsecè, vel extrinsecè mala, seu vetita) sit per invincibilem errorem credita honesta, & præcepta, reddat eam actionem moraliter bonam, & meritoriam?

Negat P. Eliz. *1. p. lib. 3. qu. 4. & 2. p. lib. 5. qu. 18. per totum §. primum, & secundum à pag. mihi 137.* quem sequitur Palanco *qu. 5. per totam*, & dicit ab Antiquis vix agitatam fuisse, & citat pro se Mag. Ferre. *1. 2. tr. de Probabilitate qu. 3. §. 2.* dicentem esse expressam D. Thomæ; citat etiam M. Contenson *de Probabilit. diff. 6. cap. 1.*

N. 2.
P. Eliz.
Palanco.
M. Ferr.
M. Contenson.

Affir-

N. 3. Affirmat S. Thom. in 2. Sent. dist. 39. art. 3. ad 1. M. Mercor. 1. p. art. 6. Philalet. pag. 12. de Opinionum praxi, P. Suar. 1. 2. d. 12. sect. 1. P. Vafq. 4. P. Vafq. 1. 2. d. 60. P. Oviedo 1. 2. tr. 5. edo, contr. 2. pun. 1. n. 5. P. Salas, P. Valen. d. 2. qu. 14. pu. 4. P. Palao tom. 1. tr. 1. d. 1. pun. 2. P. G. Hurt. & alij plures apud P. Oviedo; quibus addo C. de Lugó d. 5. de Fide n. 20. dicentem, quòd iudicium prudentiæ infusæ possit supponere falsum, & servire ad meritum supernaturale; P. Ripald. d. 62. de Ente supernaturali, & d. 6. de Fide n. 64. & 70. qui ait hanc esse sententiam communem, & omnes voluntatis virtutes haurire suam honestatem ex honestate probabiliter tantum apparente; M. Godoy tom. 3. in 3. p. d. 42. a n. 93. ad 98. qui in terminis ait, non tantum actus extrinsecè malos, seu malos, quia vetitos, sed etiam intrinsecè malos, seu vetitos, quia malos, posse meritorie fieri, supposita ignorantia invincibili de eorum prohibitione; ut si quis invincibiliter ignoraret mendacium esse prohibitum, posset ex fine supernaturali operando laudabiliter, & meritorie mentiri. Hæc Godoy, qui n. 99. addit, quòd, supposita ignorantia invincibili prohibitionis alicujus rei, melius est per accidens erga objectum re ipsa vetitum ex motivo supernaturali operari, quàm ab operatione cessare; etsi non sit melius per se, & ex meritis objecti. Ecce tantus vir vult, quòd supposita ignorantia invincibili, quòd mendacium ob famam mulieris tuendam sit vetitum, etsi non supponat illud esse præceptum, melius esse tunc mentiri ex motivo supernaturali, quàm abstinere à mendacio invincibiliter ignorato, ut vetito, & non credito ut præcepto; quanto magis melius erit, si supponatur non tantum ex ignorantia invincibili non esse vetitum, sed supponatur ex errore invincibili tunc esse præceptum? Idem docet Mercor. qui l. c. ait ad electionem ex se malam, apprehensam ut bonam, & ut honestam, concurrere Deum auxilio speciali, & esse meritoriam, quia meritum attenditur secundum voluntatem operantis, quæ si sit bona, ut est voluntas mentiendo supposito errore de præcepto mentiendo, opus evadit bonum, & meritorium: P. Moya tom. 2. qu. 9. §. 6. qui plures citat, P. Teril. qu. 16. de Confc. qui ait omnes Theologos cum S. Thom. in hanc sententiam ire, & qu. 1. de Reg. mor. n. 5.

§. II.
Scienda.

SUMMARIUM.

Moralitas supponit libertatem, & quid actus humanus ex D. Thom. n. 4.

Honestas, & inhonestas transfunditur in volitionem à cognitione, n. 5.

Si actus voluntatis sit conformis rationi proponenti legem, erit honestus, si difformis, inhonestus: hinc proxima formalis regula honestatis est cognitio, seu dictamen rationis, n. 7. 8. 9.

Etsi qualitas, seu bonitas, & malitia volitionis sit à cognitione, attamen quantitas bonitatis, & malitiae non est à solâ cognitione, sed ab alijs circumstantijs, n. 10. 11.

Dantur in intellectu, & voluntate tam hominis, quàm Dei leges directæ, & reflexæ. DD. n. 12. ad 15.

Leges directæ sunt, quæ per se intenduntur; reflexæ, quæ per accidens supposito nostro errore, n. 16.

Nulla lex reflexa, siue nostra, siue Dei preferre debet indecentiam; & expono modum decentem exprimendi, n. 17. ad 24.

Non confundenda leges nostræ reflexæ cum directis, nec leges Dei reflexæ cum Dei directis, n. 21.

Dictamen reflexum Dei, & nostrum exprimere debet errorem invincibilem, quem supponit, n. 22.

Scriptura aliquando utitur verbis importantibus malitiam, à quâ actus præceptus purgandus, n. 23.

Objecta nostrorum, & Dei actuum directorum, & reflexorum, n. 24.

Sciendum 1. omnem actum morale esse liberum; quòd enim moralitas actuum præsupponat necessariò libertatem, est certum apud omnes Theologos, ut expresse docet Divus Thomas 1. 2. qu. 1. art. 1. dicens: *Ille sola actiones vocantur propriæ humane, quarum homo est dominus; est autem homo dominus suorum actuum per rationem, & volitionem; unde & liberum arbitrium dicitur facultas volitionis, & rationis. Ille ergo actiones propriæ humane dicuntur, quæ ex volitione deliberatâ procedunt: si autem alie actiones homini convenient, possunt quidem dici hominis actiones, sed non propriæ humane, cum non sint hominis, in quantum est homo.* Hæc S. Thom. ex quo ita arguo: Omnis actio moralis est humana; sed omnis humana supponit libertatem: ergo omnis actio moralis supponit libertatem, & quidem tantam, ac talem, quæ satis sit ad fundandam bonitatem, vel malitiam formalem in actu, qualis est in adultis ratione utentibus. Vide Scotum in 2. dist. 40. ad 2. Durand. dist. 38. qu. 1. M. Tapiam tom. 1. Catenæ lib. 1. qu. 1. art. 1. & alios passim.

Sciendum 2. actum morale, seu liberum dividi in moraliter bonum, seu honestum, & in moraliter malum, seu inhonestum

stum. Dixi autem *disp. elapsa* omnem moralitatem transfundi in actum voluntatis mediā cognitione, & ideo ibidem intuli actum sequentem ad ignorantiam de non malitiā, & non prohibitione, non esse moraliter malum, esse autem moraliter malum actum sequentem ad cognitionem malitiæ, vel prohibitionis: ita modò dicturus sum omnem bonitatem moralem, seu honestam transfundi etiam in actum voluntatis mediā cognitione, & ideo inferam actum sequentem ad errorem invincibilem de inhonestate, & creditum honestum, esse moraliter honestum.

N. 6. Ratio est; quia ratio honesti sumitur à conformitate cum lege, ut constat ex S. Thom.

8 Th. 2. de Malo art. 4. dicente: *Bonum, & malum* (intellige morale) *in actibus humanis considerantur secundum quod actus concordat rationi informata lege Divina, vel naturali*; & ideo honestas communiter describitur, *Conformitas cum primā regulā, ut offensa nobis per lumen rationis*: ergo bonitas moralis, seu honestas actus sumitur à conformitate, seu concordia actus cum ratione informatā per legem.

N. 7. Ex quo patet id quod dixi supra, quod proxima formalis regula moralitatis, seu honestatis, vel inhonestatis insit in actibus voluntatis est ipsa ratio, seu cognitio, & dictamen rationis, ita ut, si actus voluntatis sit ei dictamini conformis, erit moraliter bonus, seu honestus; si difformis, erit moraliter malus, seu inhonestus; si illud dictamen sit speculativè verum, si speculativè falsum, id est, si reverā addit in re lex, & in objecto honestas objectiva, affirmata per dictamen; si non addit, ut docent ex S. Thom. & ex S. August. Scoto, & alijs P. Suar. 1. 2. d. 2. de Bonitate, & Malitiā n. 10. P. Oviedo 1. 2. tr. 4. contr. 2. n. 10. Herinx tom. 2. d. 3. qu. 1. & alij passim. Ratio à priori est; quia, ut docui, lex, & objectum non movent voluntatem, nisi per cognitionem applicentur voluntati: ergo si voluntati representetur lex, & honestas objectiva, etsi à parte rei non dentur, actus voluntatis ei dictamini conformis erit eò ipso moraliter honestus; quod si sit ei difformis, non erit honestus, immò inhonestus, quia tota moralis bonitas, & malitia nostrarum volitionum sita est in conformitate cum lege, aut objecto, ut proposito per rationem; vel, ut verius, & subtilius loquar cum S. Thomā, sita est in conformitate cum ratione proponente legem.

N. 9. Sciendum 3. quod licet, ut dixi paulò antè, qualitas actus humani, seu bonitas, & malitia moralis volitionum pendeat à cognitione representante legem, vel honestatem

objecti, cui cognitioni talis volitio conformatur, vel difformatur, si ve ea cognitio sit vera, si ve falsa, attamen quantitas honestatis, aut malitiæ non pendet tota à cognitione, sed præterea à talibus determinatè circumstantijs. Ratio est; quia in actu humano aliqui sunt effectus formales, qui pendunt ab objecto, ut per cognitionem, si ve veram, si ve falsam proposito; aliqui, qui aliunde, putà à diverso principio, à cognitione determinatè verā, vel falsā, ab adæquante, aut inadæquante objectum. Qualitas actus quoad honestatem, & inhonestatem, quoad gravitatem, vel levitatem pendet ab objecto in esse objecti, id est, ut per conscientiam proposito, si ve ea conscientia sit speculativè vera, si ve falsa; & ideo qui putat, quod omnem mendacium sit mortale, peccat mortaliter; qui putat ne quidem esse veniale, nec venialiter peccat. Quantitas autem ejusdem qualitatis, seu honestatis, vel inhonestatis, meriti, vel demeriti, levitatis, & gravitatis, pendet insuper à talibus determinatè circumstantijs; putà, meritum pendet à dignitate operantis, & ideo si quis putaret se esse in statu gratiæ, & non esset, non mereretur de condigno; & si quis putaret se posse elicere actum æquè meritorium ac sunt actus Christi D. aut Deiparæ, non ideo actus ille erit tanti meriti. Maior, vel minor honestas, & inhonestas *objectiva* pendet à tali objecto, ut est in se, non ut in mente operantis; & ideo si quis putaret actum jejuniij esse æquè honestum objectivè, ac est actus amoris Dei, non ideo erit; vel si quis putaret, quod esus carnis die vetito sit æquè inhonestus, ac homicidium, non ideo erit. Hinc in *Tractatu de Incarn.* intuli, quod si quis putaret malitiā peccati esse infinitam, non ideo erit; quomodò si quis putaret se cognoscere, aut amare Deum ut octo, non ideo amabit, & cognoscat ut octo; quia quantitas malitiæ non pendet ab objecto in esse objecti, seu ut per *quamlibet* cognitionem proposito, sed ab objecto cognito cognitione infinita; & quantitas amoris, & cognitionis non pendet ab objecto solo, ut proposito per cognitionem, sed etiam ab alijs circumstantijs ad talem intentionem amoris, & visionis requisitis; putà, amor Dei ut octo à cognitione Dei ut octo; cognitio Dei ut octo à speciebus intensis ut octo. Adde præterea considerandam circumstantiam applicatam per errorem actui, quæ si sit chimerica, actus eam repudiatur; non ita, si non sit: sed infinitudo est impossibilis actui; malitia non est impossibilis: ergo si malitia gravis applicetur per errorem voluntati, potest volitio eam recipere,

pere, non autem potest recipere malitiam infinitam, etsi malitia infinita per errorem applicetur actui.

- N. 13. Sciendum 4. Sicut in nostro intellectu, & voluntate dantur actus directi, seu cadentes supra objectum, ut est in se à parte rei; & actus reflexi, seu cadentes supra objectum, ut existens per nostram directam cognitionem, & volitionem, & ideo passim à Theologis distinguuntur principia Synderesis directa, & reflexa; ita in intellectu, & voluntate Divinâ dantur actus directi, & reflexi per nostram rationem distincti, seu cadentes supra objectum, ut est in se, & cadentes supra objectum, ut à nobis cognitum, & ut à nobis volitum. Exempla actuum directorum Synderesis, aut conscientiae, & voluntatis nostrae sunt, *Mendacium est malum, fuge illud. Eleemosyna bona, fac illam.* Exempla actuum reflexorum Synderesis, conscientiae, & voluntatis nostrae sunt, *Licetum est objectum creditum invincibiliter honestum, vel praeceptum, elige illud.* Exempla actuum directorum sapientiae, & voluntatis Divinae sunt, *Mendacium est malum, Eleemosyna est bona; fuge illud, elige istam.* Exempla actuum reflexorum sapientiae, & voluntatis Divinae, seu cadentium supra objectum, ut à nobis cognitum, & imperatum, sunt, vel hæc universalia principia, *Sequere dictamen conscientiae certo prudens, quod deponere non potes: Fac quod indubitanter iudicas certo licitum, vel praeceptum;* vel hæc particularia, *Dic mendacium, quod invincibiliter iudicas praeceptum; ne facias eleemosynam, quam invincibiliter iudicas vitiatam: mendacium creditum à creaturâ ut honestum, est honestum; eleemosyna credita ab eadem invincibiliter ut inhonestâ, est illicita.* Porro
- N. 15. quod tum in nobis, tum in Deo dentur ea dictamina reflexa est omnino certum: in nobis, quia hoc suadet experientia; in Deo, quia hoc suadet ratio; hoc enim ipsa reflexum conscientiae dictamen mihi dictans, *Licet quod indubitanter iudico non esse peccatum: licet sumere alienum, quoties invincibiliter iudico esse praeceptum, ab aliquo Superiore meae conscientiae intimatur: ergo non nisi à Deo, qui est primaria lex, à quâ cæterae pendunt: ergo dantur in Deo hæc leges reflexae, Obedi dictamini tuo reflexo invincibiliter dictanti talem actionem esse honestam, vel praeceptam.* Lege P. Suar. 1.2. d. 12. scilicet. 4. P. Teril. tit. de Conic. qu. 11. 12. & 18. & de Reg. morum qu. 3. a n. 58. P. Espar. de Act. Hum. qu. 24. P. Valq. 1.2. d. 49. P. Moya tom. 2. qu. 9. a n. 44. P. Oviedo 1. 2. tr. 5. contr. 2. a n. P. Moy. 4. P. Ruiz. d. 41. de Volunt. Dei scilicet. 1. P. Rip. Ripald. tom. 3. de Ente d. 10. n. 14. qui plu-

rimos antiquos recitat, quibus adhærent omnes Theologi, & inter Modernos P. de Champs de Haresi Janfen. P. Annat. in Augu- P. Ag-
stino vindicato, P. Martinon in Anti-Janfenio, nat.
Card. de Lugo tom. 1. de Just. d. 5. num. 17.
Addo Brun. Neufli. Scotistam, qui in sua Neufli.
absolutissimâ Polyantheâ Theologo-Morali-Ca-
nonicâ, cui quadrat elogium, quo extollit
nostrum P. Arsdekin disp. 1. n. 33. dicens, P. Ars-
quod paucis verbis plura comprehendat, & P. de-
kin.
lide probat, ait l.c. n. 9. pag. 2. & 105. expe-
diens est ob nostras ignorantias, ut non tan-
tum dentur principia Synderesis directa de
objecto cognito ut est in re ut bono, aut
malo, sed etiam reflexo de objecto, ut sub-
stat actibus nostri intellectus; ita ut illud sit
honestè eligibile, quod omnibus pensatis
tale esse iudicatur. Subdit: Et ab hac duplici
acceptatione pendet principaliter quidquid de
usu opinionis probabilis hodie operosè, &
contentiosè multi tractant. Lege doctam
concordiam inter Probabilistas, & Probabiliori-
stas, à P. Mamiano viro satis acuto editam, P. Ma-
mian.
de quâ ego alibi dicam, quod sentio.

Sciendum 5. quod sicut nostra principia N.
Synderesis directa differunt à reflexis per
hoc quod directa sunt primariò, & per se
intenta à naturâ, reflexa autem sunt tantum
secundariò, & ex suppositione erroris invin-
cibilis intentas ita etiam certum est, quod
lex Divina directa differt à lege Dei reflexâ, seu actus sapientiae, & voluntatis Divinae
directi differunt à reflexis Divinis, quod
præcepta, sive positiva, sive negativa, direc-
ta, sunt à Deo primariò, & per se intentas,
cum à Deo dentur ex primariâ intentione
nos dirigendi, & obligandi; præcepta autem
Divina reflexa intimantur tantum nobis ex
suppositione ignorantiae, aut erroris nostri
invincibilis. Similiter sicut certum est, quod
principia Synderesis directa habent talem
modum tendendi, qui nullam exprimit in-
honestatem, indecentiam, aut malitiam for-
malem, si sunt præceptiva; si autem sunt
prohibitiva, nullam exprimentur honestatem
formalem; implicat enim, ut præcipia-
tur aliquid formaliter inhonestum, & ut
prohibeatur aliquid formaliter honestum,
retentis iisdem circumstantiis, in quibus est
formaliter tale; ita etiam certum est, quod
principia Synderesis reflexa supponunt in-
vincibilem errorem, si sint præceptiva, non
debent exponi per verba importantia ali-
quid formaliter inhonestum; & si sint pro-
hibitiva, non debent exponi per verba ex-
perimentia aliquid formaliter honestum; eò
enim ipso quod præceptiva exprimerent ali-
quid formaliter inhonestum, destruerent in-
vinci-

N. 16.
N. 17.
N. 18.

vincibilem inhonestatis formalis errorem, quem supponunt, & sic repugnarent, quia repugnat, ut præcipiatur aliquid formaliter inhonestum: & eo ipso quo prohibitiva exprimerent aliquid formaliter honestum, eo ipso destruerent invincibilem honestatis errorem, quem supponunt, & sic repugnaret, quia repugnat, ut prohibeatur honestum manens formaliter honestum. Hinc constat, quod sicut principia Synderesis directæ habent hunc modum tendendi, si prohibitiva sint, *Ne fureris, ne blasphemēs, ne mentiaris, ne peccēs*; si præceptiva sint, habent hunc modum, *Crede Deo, cole Deum, succurre proximo*; ita principia Synderesis reflexæ præceptiva, supponentia invincibilem inhonestatis errorem, non possunt habere hunc modum, *Furare, mentire, blasphema, peccā*; & principia reflexæ prohibitiva supponentia invincibilem de honestate errorem non possunt habere hunc modum, *Ne colas Deum, ne credas Deo, ne succurras proximo*. Ratio est evidens; quia hæc verba, *furare, mentire, peccā*, significant non tantum actionem materialiter, sed formaliter malam; significant enim actionem cognitam, ut vitatam: ergo cum principium Synderesis reflexum præceptivum supponat errorem invincibilem malitiæ, & prohibitionis, consequenter non potest habere dictum modum expressum per ea verba, quæ ex se, nisi limitentur, significant actionem formaliter malam, & cognitam ut vitatam. Similiter hæc verba, *Ne credas Deo, ne colas Deum, ne succurras egeno*, significant actionem formaliter bonam, & cognitam, ut formaliter honestam: ergo cum principium Synderesis reflexum prohibitivum supponat invincibilem honestatis errorem, consequenter non potest exponi verbis supponentibus notitiam honestatis: ergo non potest habere dictum modum. Hinc P. Ter-
N. 19. ril. qu. 3. de Reg. morum n. 59. paucis complectens dixit contra P. Eliz. qui lib. 3. qu. 4. §. 3. aliqua attulit ex Guilielmo Pariliensi abique loci citatione: Fateor furta, mēdacia, & alia hujusmodi non esse bona, nec vitæ æternæ meritoria, quando proponuntur sub notionibus, quas verba exprimunt; in hoc enim sensu objecta illa sunt tam apertē mala, ut eorum malitia, aut nullo modo, aut non nisi vincibiliter latere possit; ideoque non modo non sunt bona, sed semper sunt mala, quæ proinde excusari non possunt.

N. 20. Sciendum 6. quod modus decens, & conveniens exerciti talibus præceptis Synderesis reflexis, tam præceptivis, quam prohibitivis nostris, est iste, vel huic similis: *Dic verbum, quod exerciti putas ex invincibili er-*
 Tom. I.

rore bonum, & necessarium: pone actionem, quam ex ignorantia invincibili malitia, & inhonestatis, immo ex invincibili errore putas honestum, & præceptum. Omitte actionem, quam ex invincibili ignorantia honestatis, immo ex errore invincibili exerciti putas inhonestam. Hæc eadem doctrina applicanda est præceptis reflexis sapientie, & voluntatis Divinæ; talem enim exprimendi modum habere debent, qualis Deum decet; quare præcepta reflexa Dei sunt, *Pone, aut omite, quod dictamen conscientie certò prudens invincibiliter erroneum dicitur ponendum, aut omittendum: pone, quod per invincibile dictamen judicas præceptum, vel honestum: omite, quod per invincibile dictamen judicas vitium, vel inhonestum.*

Sciendum 7. accuratè opus est attentio-
 ne, ne Adversarij confundant nostra præ-
 pta reflexa cum nostris directis, aut reflexa
 Dei cum directis Dei, ut sæpe faciunt. Præ-
 cepta, aut prohibitiones directæ, sive no-
 stræ, sive Dei, cadunt, & cadere debent su-
 pra objecta, & actiones ut sunt in se, & de-
 bent exprimi per verba significantia actio-
 nes ut sunt in se, & notitiam talis actionis, ut
 est in se; talia sunt verba, *Ne fureris, vel cole
 Deum*; ea enim significant malitiam furti,
 & cognitionem malitiæ; hæc significat hone-
 statem cultus Divini, & notitiam talis hone-
 statis. Præcepta, & prohibitiones reflexæ
 nostræ, & Dei cadunt, & cadere debent su-
 pra objecta, & actiones, ut ignoratas à nobis
 malas, & ut putatas à nobis bonas; aut ut
 ignoratas à nobis bonas, & ut putatas à nobis
 malas: quæ quidem præcepta reflexa licet
 in re obligent ad electionem objecti in se
 absolute vitii, seu materialiter mali, & res-
 pectu hominis cognoscētis prohibitionem,
 aut malitiam, sit malum in re; & quæ qui-
 dem prohibitiones reflexæ licet in re obli-
 gent ad omissionem electionis ex se honestæ,
 aut præcepta, & respectu hominis scientis
 tale præceptum, aut cognoscentis eam hone-
 statem, sit bona, & honesta in re; attamen
 neque illa præcepta reflexa habent hunc mo-
 dum tendendi signatum, *Mentire, furare, nec
 illæ prohibitiones reflexæ hunc, Ne colas
 Deum, ne succurras egeno*: quia hi modi ten-
 dendi, nec exponunt errorem invincibilem
 de malitiā mendacij, & furti, imò exprimunt
 notitiam malitiæ, & furti; nec exprimunt
 errorem invincibilem de honestate cultus
 Dei, & charitatis proximi; imò exprimunt
 notitiā honestatis, & præcepti colendi Deū,
 & succurrendi proximo. Debet igitur mo-
 dus tendendi præcepti reflexi, sive nostri, sive
 Divini, exerciti exprimere invincibilem ig-
 norantiam malitiæ, & invincibilem errorem
 P honeste-

honestatis rei, quam præcipit; nam præceptum reflexum hoc habet pro objecto, nempe talem actionem ignoratam malam, & ut putatam bonam; & modus tendendi prohibitionis reflexæ, five nostræ, five Divinus, exprimere exercitè debet ignorantiam honestatis, & errorem invincibilem inhonestatis, aut prohibitionis in re, quam prohibet; nam prohibitio illa reflexa habet pro objecto talem omissionem, ut ignoratam bonam, & ut putatam malam.

N. 23. Addo: Quamvis dicerem præcepta Dei, aut nostra reflexa (idem dic de prohibitionibus) habere hunc modum tendendi, *Mentire sub ignorantia invincibili, quod putes mendacium esse præceptum*, (totum enim hoc dicere debet, non autem nudum *mentire*, quia debet exprimere objectum actus reflexi, adeoque mendaciū, ut substans errori, quod sit præceptum) nihil mali diceremus; tunc enim mendacium non habet significationem, quam habet secluto errore; secluto enim errore habet malitiam formalem, & prohibitionem; inclusio autem errore de non prohibitionem, immò de honestate, aut præcepto, non habet malitiam formalem moralem, sed purè materialem; si hoc, inquam, dicerem, nil mali dicerem; Scriptura enim aliquando simili modo loquitur: nam Deus præcepit Olcæ, ut duceret mulierem fornicariam, ubi tò *fornicariam*, significat illam actionem materialem fornicationis, seclutā malitiā formali; & Israelitis præcepit Deus, ut furarentur vasa Amaleitarum, ubi tò *furari*, significat actionem illam usurpativam, seclutā malitiā formali; & Job usurpat verbum *maledictus* pro non maledictio: sicut ergo à Dei præcepto cognito tollitur ab illis actionibus malitia formalis, & ab illis verbis expressio malitiæ formalis in eā actione inclusa; ita ab errore invincibili malitiæ furti, sicut excusatur talis actio à malitiā formali furti, ita restringitur ab eo errore verbum, *mentire*, aut *furare*, ut non significat malitiam formalem, sed purè talem actionem materialem.

N. 24. Sciendum 8. neque præcepta reflexa nostra opponi nostris directis, nec legem reflexam Dei opponi legi directæ Dei. Ratio est evidens; quia voluntas directæ, & reflexæ non sunt de eodem omnino objecto; reflexa enim habet pro objecto aliquid realiter inadæquatè distinctum ab eo, quod habet directæ; nam directæ est de objecto, ut est in se à parte rei; reflexa autem est de objecto, ut substante ignorantie, & errori invincibili; atque adeo, quia directæ, & reflexa non sunt de objecto, ut sub ipsa circumstantiis, sed sub diversis, ideo non opponun-

tur, quomodo non opponuntur, *jeiuna, si bene vales; non jeiuna, si male*. Hæc rectè intellecta faciunt evidentem conclusionem sequentem, quæ est omniū, ait P. Teril. n. 3. citatus. P. Teril.

§. III.

Nostra, & communissima sententia contra Celladei, & Palanco.

SUMMARIUM.

Si ignorantia invincibili malitia uniatur invincibilis de honestate, ea actio est honesta, & meritoria, n. 25.

S. Thom. clare dicit actum, qui ex se non est iuxta Dei legem, nec ex se bonus, fieri bonum, ib.

Honestas, & inhonestas per S. Thom. sumitur a dictamine proponente objectum, ibid.

S. Aug. dat gratias Deo ex errore, quod eum non fecerit avem, n. 27.

Actus specificatur ab objecto non ut est in re, sed ut in mente, n. 28.

Omnis actus conformis regulæ morum formali, & objectivæ est honestus, & meritorius, si fiat ab homine, qui sit in gratiâ, n. 29.

Lex Dei reflexa respectu operantis ex errore invincibili est regulæ objectivæ; dictamen est regulæ formalis morum, n. 30.

Arist. ait, quod ut quis virtuosè operetur, nihil obstat, quod finis sit bonum aut apparens, n. 32.

Honestas apparens satis est ad objectum formale virtutis moralis, DD. ibid.

Arist. docet quod nos, dum dividit continentem per se, & per accidens, DD. n. 33.

Cur Deus dederit nobis pro regulâ suæ legis dictamen conscientie, etsi aliquando falsum? ib.

Tenemur lege naturali conformare nos nostro conscientia dictamini, etsi falso, n. 35. 36.

DD. inter quos plures dicunt hoc esse de fide, ib.

Recta ratio à D. Aug. vocatur Nobile iudicatorium, n. 37.

Si error non honestat opus, peccabitur aliquando necessario, n. 38. 39.

Proprietates actus boni, & earum ordo ex S. Th. n. 40.

Contradictio Celladei, n. 41. 42.

Inductione filij, fidelis, subditi honorantis, quem falso putat patrem, Superiorem, & adorandū, constat, quod omnis actus cadens sub præceptum, aut consilium, in re, aut falso tale, sit honestus, n. 44.

Si non esset honestus, plerique Sancti non sunt operati honestè, n. 45.

Non tantum actus sub præcepto vero, sed etiam sub invincibiliter falso propositus, est formaliter honestus; & rejicitur Palanco, qui sine jure asserit omnes negare honestatem actui posito sub errore invincibili, n. 46. ad 50.

Nostra

N. 25. **N**otra conclusio: Quoties ignorantie moraliter invincibili prohibitionis, & malitiae jungitur error invincibilis de honestate objecti, aut de præcepto actionis, toties opus sub eâ ignorantia, & errore elicatum, est honestum, & meritum, si cetera adfint. Est omnium quos citavi.

N. 26. **Probatur** 1. ex S. Thom. in 2. dist. 39. art. 3. ad 1. dicente: *Quamvis illud, quod ratio dicitur per se, non sit secundum legem Dei, sicut nec per se bonum, tamen per accidens est secundum legem Dei, sicut & bonum, in quantum ratio apprehendit ipsum, ut secundum legem Dei, & bonum.* Quid clarius ad rem nostram? Ergo per S. Doctorem illud ipsum, quod per se non est secundum legem Dei (intellige directam) & honestum, (intellige secundum se) & illud ipsum, quod ratio (intellige directam) dicitur non esse secundum se honestum, nec conforme legi Dei directæ; illud ipsum, inquam, potest per accidens esse secundum legem Dei, (intellige reflexam seu supponentem rationem erronee dictantem esse secundum legem Dei) & honestum, (intellige reflexe, quatenus conforme rationi nostræ reflexe invincibiliter dictanti esse secundum legem Dei, & esse honestum.) In quibus verbis S. Doctor non solum exprimit nostram sententiam, sed dat rationem, quomodo aliquid, quod non est secundum legem Dei, nec est honestum, possit esse per accidens tale, nempe si ratio apprehendat esse tale: insuper innuit legem Dei, & nostram, tum directam, tum reflexam; & de directâ dicit esse per se intentam; de reflexâ esse intentam per accidens, nempe suppositâ ignorantia, & errore, ut dixi Sciendo 4. & 5.

S. Tho. **Idem** deducitur ex quodlib. 3. art. 26. ubi S. Thom. ait: *Cum actus recipiat ex objecto speciem, non recipit speciem ab eo secundum materiam objecti, sed secundum rationem formalem objecti; sicut visio lapidis non recipit speciem a lapide, sed a colorato, quod est per se objectum visus; omnis enim actus humanus habet rationem peccati, vel meriti, in quantum est voluntarius, objectum autem voluntatis secundum propriam rationem est bonum apprehensum; & ideo actus humanus judicatur virtuosus, vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod per se fertur voluntas, & non secundum objectum materiale actus.* Hæc S. Thom. Subsumo: Sed invincibiliter judicans mendacium esse honestum, & illud exequens tendit in mendacium apprehensum, ut honestum: ergo actus voluntatis illud volens non potest non esse honestus. Deinde S. Doctor tradit regulam.

Tom. I.

lam generalem peccati, & meriti; vitij, & virtutis; illamque totam resolvit in libertatem, & apprehensionem præviam proponentem objectum, vel ut malum, vel ut honestum: ergo nil adeo distat à generali doctrinâ D. Thomæ, quam asserere errorem invincibilem excusare quidem à peccato, non tamen reddere actum voluntatis honestum, si error invincibilis proponat, ut præceptum, vel ut honestum id, quod in re non est tale: sicut enim, si per errorem invincibilem proponatur ut malum, quod in se est honestum, actus voluntatis illud exequens erit formaliter malus; ita econtra stando in S. Doctore, si proponatur ut honestum, quod non est tale, actus voluntatis in illud tendens erit virtuosus: tota enim ratio honesti, vel inhonesti in omnibus actibus voluntatis sumitur juxta Divi Thomam ex apprehensione proponente objectum. Idem suadet ex aliâ doctrinâ Divi Thomæ 1. 2. qu. 19. art. 6. ubi ait: *Manifestum est, quod illa ignorantia, quæ causat involuntarium, tollat rationem boni, & mali: sed ignorantia invincibilis, aut error, quod mendacium leve, prolatum, ut servetur fama Matronæ periclitantis, sic honestum, causat involuntarium; ergo tollit ab electione mendacij rationem mali: ergo cum aliunde juxta D. Thomam non detur actus indifferens in individuo, eò ipso quod ea electio non est mala, est bona.* Ita P. Moya tom. 2. quæst. P. Moy. 9. §. 6.

Confirmo exemplo S. Augustini, quo N. nil aptius ad materiam præsentem, hic enim 27. Soliloquiorum cap. 7. n. 4. summas, quod sollet affectu, Deo gratias agit, quod eum creaverit; & quidem non tantum, quod creaverit, sed quod eum non fecerit stillam aquæ, ignem, avem, piscem; ait enim: *Unde mihi Domine benignissime Deus... non eram, & creasti me: nihil fueram, & de nihilo me aliquid fecisti. Quale autem aliquid? Non stillam aquæ, non ignem, non avem, vel piscem, non serpentem, vel aliquid ex brutis animalibus... paulo minus me creasti Angelis.* Hæc S. Augustinus: ecce tantus Doctor ductus judicio erroneo, nixto fortasse sententiæ Platonis, certè minus probabili, Deo gratias agit, quod eum non creaverit piscem, aut lapidem, cum tamen juxta certam hodie sententiam hoc impossibile judicetur: quis autem dicat, S. Augustinum eo gratiarum affectu non meruisse, eò quia oriebatur à judicio erroneo? Ergo opus sub judicio erroneo potest esse omnino honestum. Rursus confirmo ex alio textu S. August. serm. 19. S. Aug. P. ij de

de Verbis Apostoli cap. 6. nam Scriptura Eccli. cap. 31. laudat, & beatum vocat, & dicit quod coronabitur gloria, qui potuit transgredi, & non est transgressus; qui potuit facere mala, & non fecit, & plura similia: quis autem non videat, quod, si quis ex iudicio vero, siue ex invincibiliter erroneo, potens transgredi, & non transgrediatur, revera non transgreditur? Ergo revera talis homo erit laudabilis, & merebitur gloriam: ergo actus sequens ad iudicium invincibiliter erroneum non potest non esse bonus, cum sit meritorius gloriae. Plura P. Teril.

N.

28.

P. Teril.

SS.P.P.

trahit, & textus Canonicos, & communissimum Doctorum sensum. Ratio est; quia actus specificatur ab objecto, non ut est in se, sed ut representatur per intellectum: ergo si objectum in se malum representetur invincibiliter ut bonum, & voluntas tendat in illud sub ratione boni, actus erit moraliter bonus.

N.

29.

P. Ovie.

1. 2. tr. 9. contr. 1. pu.

1. n. 9. contra aliquos Neotericos: sed omnis actus elicitus sub invincibili ignorantia malitiae, & prohibitionis, & sub errore moraliter invincibili honestatis, & praecepti est actus conformis primae regulae morum formali, & obiectivae: ergo non potest non esse honestus, & si fiat ab homine dignificato per gratiam, non potest non esse meritorius. Maior est evidens ex Sciendo 2. nam honestas est conformitas cum ratione informata per legem Divinam, aut naturalem, ut ibi dixi. Minor probatur 1. quia omnis actus elicitus sub ignorantia invincibili honestatis, & sub errore invincibili prohibitionis, id est, omnis actus putatus invincibiliter prohibitus, non potest non esse illicitus, & inhonestus: ergo ex opposito omnis actus elicitus sub ignorantia invincibili prohibitionis, & sub errore invincibili honestatis, aut praecepti non potest non esse honestus: cur enim error dictans opus ex se licitum esse illicitum, reddit illud illicitum, esto in re esset licitum; error autem operis ex se illiciti non reddit licitum opus putatum ex errore licitum? Probatur 2. eadem minor: Omnis actus elicitus ex errore moraliter invincibili de honestate, & praecepto est conformis dictamini conscientiae reflexo, & legi Dei reflexe:

N.

30.

sed dictamen conscientiae reflexum est formalis regula morum; lex Dei reflexa est obiectiva regula morum; implicat autem, ut actus conformis regulae morum, tam formali reflexae, quam obiectivae reflexae verè existentibus, non sit honestus: ergo cum talis actus putatus ex invincibili errore honestus, aut praeceptus, sit conformis primae regulae morum formali, & obiectivae, implicat, ut non sit honestus. Cum enim, ut dixi, voluntas Dei alia sit de rebus cognitis, ut revera sunt, alia per accidens de rebus, ut sunt à nobis cognitae, ut volitio humana sit recta, satis est, ut sit conformis dictamini conscientiae reflexo, & voluntati Dei reflexe supponentibus nostrum errorem; quia illud conscientiae dictamen reflexum, & haec voluntas Dei reflexa nobis tunc proponuntur in tali circumstantia erroris, non autem tunc inest nobis dictamen conscientiae directum, nec voluntas Dei directa per hoc dictamen nobis applicatur: ergo objectum illud, licet in se non sit honestum, est tamen per accidens honestum, supposito errore.

Confirmo hanc rationem à priori, alia ratione à priori ab omnibus Philosophis, & T.T. admittit. Objectum non specificat actum, nisi ut per intellectum proponitur, non autem, ut est in se: ita S.T.h. in 2. diff. 23. art. 3. ergo si objectum proponatur invincibiliter ut honestum, tribuet actui speciem honesti; adeoque si homini invincibiliter proponatur mendacium, ut necessarium ad famam nobilis Matronae tuendam, ea electio mendacii erit formaliter honesta, immò meritoria, si fiat ab homine dignificato; & ipsum mendacium erit tantum denominativè honestum, & meritorium ab electione interiori illud imperate. Vide C. de Lugo de Fide, P. Hurt. de Fide, P. Ovie. de Fide, P. Ripald. de Fide, nec non Theologos in 1. 2. & P. Moya tom. 2. qu. 9. §. 6. qui omnes ex mente Philosophi lib. 2. Physic. 31. & lib. 5. Metaph. cap. 3. inferunt parum referre, immò nihil obesse, ut quis virtuosè operetur, utrum finis sit bonum, aut apparens; & ideo siue petens eleemosynam sit verè egeus, siue apparenter, elargiens eleemosynam adhuc est misericors: sicut ergo actui misericordiae non obstat, quod indigentia sit apparens, siue enim sit tantum apparens, siue sit vera: ea indigentia, utraque satis est ad objectum materiale misericordiae; ita nihil obstat, quod honestas sit tantum apparens, siue enim sit apparens, siue vera, utraque satis est ad objectum formale virtutis moralis voluntatis.

Accedit alia doctrina Aristot. 5. Ethic. 33. cap. 9. & lib. 7. cap. 1. dicentis, Quem esse Aristot. incen-

C. de

Lugo,

P. Hurt.

P. Ovie.

P. Ripald.

P. Moya.

Aristot.

N.

33.

Aristot.

incen-

incontinentem per se, si faciat, quod per se est contra continentiam, alium vero per acci-
dens, qui simul ter continens esset per ac-
cidents, si putaret sic esse, licet per se non sic esset.

Profecto disertioribus verbis Philosophus
non potuit nostram conclusionem expone-
re; & huic Peripateticæ doctrinæ consonat

S. Tho. Philal. & annunt Philal. qu. 1. pag. 12. & pag. 90.

M. Mer. Mercor. 1. p. Basis art. 3. pag. 7. & art. 6. P.

P. Valq. Valqu. 1.2. d. 58. cap. 2. n. 10. P. Moya tom.

2. qu. 9. §. 8. n. 49. & reliqui omnes: cum

enim sape nesciamus, quid lex Dei prohi-

beat, aut præcipiat, Deus dedit nobis pro re-

gula ipsum rationis dictamen, cui conforma-

ri tenemur, & quamvis contingat esse ali-

quando erroneum, quia hoc per acci-

dens est, non amittit rationem regulæ immediatæ

formalis: ergo si actus voluntatis sit confor-

mis huic dictamini erroneo, erit formaliter

honestus. Addo P. Valqu. d. 48. cap. 2. & d.

49. cap. 2. P. Oviedo 1.2. tr. 5. contr. 2. à n. 3.

Herinx tom. 2. d. 4. n. 8. Caram. tom. 4. Theol.

Mor. Fund. qu. proemiali n. 19. & in Prodro-

mo à n. 117. P. Suar. d. 12. sect. 5. num. 10. M.

Joan. à S. Th. 1.2. d. 12. art. 2. n. 10. M. Tapia

tom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 3. n. 2. & 3. dicere, &

tantam esse, ex Dei præcepto, & naturali, re-

verà à parte rei existentibus, obligationem

conformandi se ultimo dictamini conscientie,

et si invincibiliter erroneo aliquid præcipi-

ent, ut nec Deus dispensare possit, nè homo

agendo contra illud non peccet: & P. Valqu.

art. quod sententia docens esse peccatum

agere juxta conscientiam erroneam sit apud

omnes hæretica, quia ex Apostolo, *Omne*

quod non est ex fide, seu ex prudenti judicio

dictante hoc non esse peccatū, est peccatum; &

omne, quod est ex prudenti judicio dictante

non esse peccatū, non est peccatum, sed opus

elicitū contra conscientiam erroneam invin-

cibiliter dictatē illud opus non esse peccat-

um, est opus, quod non est ex fide, seu ex

prudenti judicio dictante illud opus non esse

peccatum, & opus elicitum juxta conscien-

tiam erroneam invincibiliter dictantem tale

opus est præceptum, est opus ex fide, seu

ex prudenti judicio dictante esse honestum:

ergo omne opus, quod est contra conscien-

tiam erroneam invincibiliter dictantem non

esse peccatum, est peccatum; & omne opus

factum juxta conscientiam erroneam invin-

cibiliter dictantem esse bonum, est bonum.

Hinc inferitur, esse de fide dari præceptum

agendi conformiter ad conscientiam erro-

neam; nullus enim peccat, nisi detur præ-

ceptum; si ergo peccat, qui operatur contra

conscientiam invincibiliter erroneam, uti-

Tom. I.

que datur præceptum, tum naturale, tum
Divinum, verè existens in re, sequendi di-
ctamen conscientiæ erroneæ invincibiliter
proponens obligationem faciendi aliquid,
aut omittendi, ut dixi *Sciendo* 4.

Idem sentit S. Joan. de Capistrano in *Spe-*

cul. confc. n. 60. apud Fr. Bonav. Vandendicke

in suis Theibus Historico-Theologicis, de-

fensis Lovanij anno 1691. *conclus. 3.* Sicut

(inquit S. Joan. de Capitr.) recta conscien-

tia, quæ est iusta lex, ligat voluntatem per

formam, quam habet, ita etiam erronea con-

scientia, quæ est lex apprehensa, ligat volun-

tatem. Demum omnes T. T. conveniunt non

esse licitum agere contra conscientiam erro-

neam, & hoc ipsum putant de fide. *Legge*

P. Valqu. l. c. P. Oviedo l. c. Herinx l. c. qu. 2.

P. Thyr. tom. 4. d. 6. sect. 5. n. 39. Palanc. qu. 6.

n. 2. S. Thomam 1.2. qu. 19. art. 3. & qu. 17.

de Veritate art. 4. Quomodo autem liget

conscientia vincibiliter erronea, dicam intra.

Hoc certum, quod ipsum rationis lumen

acutè à S. Aug. loco citato à D. Bonav. in 2.

dist. 39. art. 2. qu. 2. circa finem, vocatur no-

bile *judicatorium*, & à S. Bonav. l. c. art. 2.

p. 1. dicitur naturale *judicatorium*; ut autem

judici standum, et si ex probatis errare possit,

ita & conscientia, et si erronea, ex hypo-

thesi.

Probat 3. quia implicat peccatum ne-

cessarium, nam de essentia omnis peccati est,

ut sit liberum, ita enim fide sanctum est

contra Lutherum, Calvinum, Baium, Jan-

senium, contra quos plura diximus d. 5. sed

si ignorantia invincibilis de prohibitione

conjuncta cum invincibili errore honestatis,

aut præcepti, non reddunt honestum opus

sequens ad errorem invincibilem honestatis,

& præcepti, non repugnat peccatum neces-

sarium: ergo invincibilis error honestatis, &

præcepti reddit opus sequens honestum. Mi-

nor probatur: Sit homo, qui ex invincibili

ignoratiâ prohibitionis putet non esse pro-

hibitum mendacium leve, immò perjurium,

ut innocens Matrona liberetur à morte; imò

putet ex invincibili errore esse necessarium,

& præceptum: ecce in hoc casu, si error non

excusat à peccato, immò si non reddit opus

conceptum ex errore præceptum, si, inquam,

non reddit honestum, & meritorium, talis

homo peccabit, si ve pejeret, si ve non peje-

ret: peccabit, si pejeret, quia ager contra

præceptum directum, *ne pejeres*; peccabit, si

non pejeret, quia ager contra præceptum re-

flexum obligans sequi dictamen conscientie

invincibiliter erroneæ, nempe, *pejere, ut li-*

beres innocentem à morte: ergo si error præ-

cepti non reddit honestum opus putatum ex

P ij

errore

N.
37.
S. Capi-
strano.

S. Aug.
P. Valq.
P. Ovic.
P. Valq.
Herinx.
P. Thyr.
Palanc.
S. Th.

S. Bon.
vent.

N.
38.

N.
39.

errore præceptum, non repugnat casus, in quo homo necessitetur à conscientia ad peccandum.

N.
40.
S. Th.

Confirmo ex S. Thom. 1.2. qu. 21. art. 3. qui paucissimis verbis explicat non tantum proprietates actus boni, sed earum ordinem inter se; ait enim: *Actus bonus, vel malus habet rationem laudabilis, vel culpabilis, secundum quod est in potestate voluntatis*; id est, nisi sit liber, nec bonitatem habet, nec malitiam; rationem vero rectitudinis, & peccati, secundum ordinem ad finem, id est, quatenus est conformis, vel difformis suæ regulæ; rationem vero meriti, & demeriti, secundum retributionem

M. Tap.

justitiæ ad alterum; id est, non dicitur meritorius, nec demeritorius, nisi operans sit pars alicujus communitatis, ait M. Tapia tom. 1. lib. 1. qu. 9. art. 1. n. 6. ad meritum enim requiritur, quod sit in bonum, & obsequium alicujus. Ex quo sic arguo: implicat, ut libera impletio præcepti verè à parte rei existentis, procedens ab homine dignificato per gratiam, non sit honesta, & meritoria de condigno; nam contrarium inhonesti, & demeritorij est honestum, & meritorium: ergo si libera non observantia præcepti est inhonesta, & demeritoria apud Legislatorem, & communitatem, libera observantia præcepti hominis existentis in gratia erit honesta, & meritoria, apud eisdem: sed omnis actus elicitus ex directione conscientia invincibiliter erroneæ dictantis, ex. gr. perjurium, ut salvetur innocens, esse à Deo, & lege naturali charitatis præceptum, est libera observatio legis, & est conformis tali dictamini reflexo certò prudenti, & legi Divinae reflexæ, supposita ignorantia, verè existenti, & præcipienti, *Sequere dictamen conscientia certò prudens: obedi conscientia dictamini prudenter invincibiliter dictanti perjurium hic, & nunc esse præceptum*: ergo &c. Quod autem tale ultimum conscientia dictamen sit certò prudens, patet; quia ex errore assumitur, ut indubitanter verum, & est conforme dictamini Synderesis universali, (Obediendum est Deo præcipienti) etsi idem ultimum conscientia dictamen sit in se speculativè falsum.

N.
41.

N.
42.
P. Eliz.
S. Th.

Probatur 4. ad hominem contra P. Eliz. qui postquam lib. 5. qu. 18. §. 3. pag. mihi 140. adduxit doctrinam D. Thomæ quest. 17. de Veritate art. 4. dicentis conscientiam erroneam duobus modis ligare, & omisso priori modo à P. Elzab. trahit posteriorem, nempe conscientiam rectam per se ligare, erroneam per accidens; rursus postquam §. 4. pag. 141. ostendit in omni conscientia erronea intervenire partem rectam,

quatenus conscientia obligans ad mentiendum sic formatur: *Deo præcipienti obediendum est, sed Deus præcipit hic, & nunc mendacium, ergo mentiendum est*; ait maioris esse verum, & rectam, & hinc infert conscientiam erroneam ligare per se, & errorem adjunctum se habere per accidens: postquam, inquam, hæc dixit, per quæ affirmat, quod negavit, negavit enim obligare; obligat enim non tantum ratione maioris, nam in maiori non assertur mendacium, nisi in universali; conscientia autem obligat hic, & nunc ad mentiendum, adeoque obligat ad mendacium ratione minoris dicentis, *sed Deus præcipit mendacium*; tandem §. 5. pag. 142. querit, an si quis ex errore putaret actionem aliquam indifferentem, puta, fricare barbam, esse à Deo præceptam, an per talem actionem mereretur, & an ea actio esset moraliter bona; & affirmat. Hoc posito, ita urgeo: Rectitudo operationis, & voluntionis itat in conformitate ad regulam rectam, ut ait Eliz. sed conscientia erronea non est recta: ergo ea actio non potest esse recta, & honesta: vel si fricatio barbæ ex conformitate cum conscientia erronea dictante esse à Deo præceptam, an per talem actionem mereretur, & an ea actio esset moraliter bona; cur non etiam leve mendacium, etsi ex se materialiter malum, ex conformitate cum conscientia erronea dictante esse à Deo præceptum, erit honestum? Certè nulla disparitas dari potest quoad formalem honestatem: quod enim mendacium sit ex se malum, fricatio sit ex se indifferens, non est ad rem; & unice probat mendacium esse materialiter inhonestum; non autem fricationem: quoad formalem autem honestatem nulla est differentia: ergo si conscientia erronea dat honestatem actioni ex se non honestæ, eaque fricatio est honesta formaliter (etsi materialiter non sit honesta) per conformitatem cum conscientia erronea, sequitur, quod mendacium per conformitatem cum eadem erit etiam formaliter honestum, etsi materialiter non sit honestum, sed inhonestum.

Probatur 5. Omnis actus cadens sub præceptum, vel consilium, est honestus: sed plurimi actus procedentes ex errore invincibili cadunt sub præceptum, vel consilium, supposito eo errore: ergo tales actus sunt honesti. Minor patet inductione: qui enim putat ex errore invincibili talem hominem esse suum patrem, tenetur eum honorare; qui talem Hostiam à Sacerdote elevatam videt, tenetur credere esse consecratam, & eam adorare, ut rectè C. de Lugo de Euchar. d. C. de 6. sect. 4. n. 16. dicens, quod in adoratione Eucharistia requiritur semper conditio implicitæ

N.
43.

Lugo.

plicitate consecrationis; quæ tamen conditio non est explicitè regulariter apponenda, quia, ut bene C. Caiet. hoc saperet irreverentiam, quomodo si dicerem, Veneror Joannem V. Lusitanie Regem, si sit baptizatus, cum nemo sine baptismo esse possit floridissima Lusitania Rex: & sic passim in materia Justitiæ, Charitatis, Obedientiæ &c. nam Judex tenetur damnare hominem, quem putat plenè reum; homo tenetur succurrere alteri, quem putat extremè pauperem; subditus obedire homini, quem putat suum Superiorem, licet talia judicia possint esse, & sæpe sint invincibiliter falsa. Addo, quod si error invincibilis de honestate non honestat actum voluntatis, ita ut illi tantum actus sint formaliter honesti, qui sequuntur ad iudicium speculative verum, plerique actus hominum, quantumque sanctitate florentium, præcipue iditarum, non erunt honesti formaliter, cum sæpissime misceatur error. Immo addo, quod si illi tantum actus voluntatis sunt formaliter honesti, qui sequuntur ad iudicium verum de honestate, sequitur 1. quod actus sequens ad iudicium imprudens, dummodo verum, erit formaliter honestus. Sequitur 2. quod illi tantum actus voluntatis erunt formaliter inhonesti, qui sequuntur ad iudicium verum de inhonestate, non autem qui sequuntur ad iudicium prudens, sed falsum de inhonestate: ergo qui ex errore invincibili putaret esse peccatum mortale non audire quotidie sacram, vel non jejunare quotidie, iste, si non audiat quotidie sacram, & quotidie non jejunet, non ponet omissionem formaliter inhonestam.

N. Respondet Palanco à n. 91. illos tantum actus esse formaliter honestos, qui cadunt sub præceptum, & consilium verum, non autem qui sub falsum; alias actus cadentes sub præceptum vincibiliter falsum, erunt formaliter honesti, quod omnes negant. Dein num. 94. ait, exempla nil probare: vel enim conscientia dictans talem hominem honorandum esse ut patrem, est recta; & sic exemplum non est ad rem, nec mirum est, quod illa honoratio sit formaliter honesta, sequitur enim ad conscientiam rectam: vel est erronea, ut supponit; & sic falsò putat se teneri honorare illum hominem, & dari præceptum de honorando illo: ergo falsum est, quod ille actus hic, & nunc cadat sub præceptum; adeoque exemplum, vel non est ad rem, vel includit contradictionem. Idem dicit n. 97. de Hostiâ; nam conscientia dictans illam Hostiam esse adorandam, vel est recta, seu vera, quatenus verum est, Ho-

stiam esse consecratam; & sic exemplum non est ad rem: vel est erronea, & sic falsum est, quod ipsa dictat, nempe falsum est, quod detur præceptum de adorandâ illâ Hostiâ.

Sed contra 1. quia retorqueo evidenter, & N. 47. probo non peccare omittendo hodie sacram, qui ex errore putat dari præceptum audiendi hodie sacram: si enim conscientia dictans auditionem sacri hodie, est erronea, ut suppono, falsum est dari tale præceptum: ergo falsum est, quod teneatur audire sacram: ergo non audiendo non peccabit; quis autem hoc dicat? Contra 2. quia dum ait Palanco, solos actus cadentes sub præceptum formaliter verum esse honestos, non autem alios, non repetit nisi quod impugnavi, & impugnationem non expugnat. Contra 3. quia N. 48. nemo negabit, quod actus sequentes ad errorem vincibilem præcepti, esse possint formaliter honesti; si enim ego per errorem vincibilem putem audiendum esse hodie sacram, illud audiendo, exercebo actum formaliter honestum: ergo sine jure dicit omnes negare, quod actus sequentes ad errorem vincibilem sint formaliter honesti. Contra 4. quia tantum abest, ut M. Serna, quem M. Serna impugnat, sibi contradicat, quin ipse Palanco hæere videtur in crasso æquivoco. Fateatur Serna, & nos, quod conscientia invincibiliter erronea potest dictare hunc hominem esse patrem Pauli, atque adeo datur in Paulo præceptum de eo homine venerando, quatenus datur præceptum honorandi, quem quilibet prudentissime judicat esse suum patrem. Ad illationem, quod si conscientia dictans talem hominem esse venerandum ut patrem est erronea, falsum erit dari præceptum de eo homine venerando; & quod si conscientia dictans hanc Hostiam esse adorandam, quia consecratam, est erronea, falsum erit dari præceptum de illâ adorandâ: ad has, inquam, illationes, dico, verissimum esse non dari à parte rei præceptum honorandi illum hominem ut patrem, & adorandi eam Hostiam, ut consecratam, quia falsum est, eum hominem esse patrem, & eam Hostiam esse consecratam; atamen licet *in re* non detur tale præceptum, datur tamen *in mente* hominis putantis invincibiliter eum hominem esse suum patrem, & eam Hostiam esse consecratam; si autem in ejus mente datur, tenetur ejus voluntas obedire illi præcepto, venerando eum hominem ut patrem, & adorando eam Hostiam, ut consecratam, eique obediendo eliciet actus formaliter honestos.

Confirmo: Si error invincibilis de honestate non honestat actum voluntatis, sequitur, 49.

SECTIO II.

Soluntur argumenta.

§. I.

Argumenta P. Elizalde.

SUMMARIUM.

Arguit ex S. Thom. negante bonam esse volitionem conformem errori; & quod, ut sit bona, esse debeat de re in se bona, non satis de apprehensa, ut bona, n. 51.

Ostendo quod S. Thom. loquatur de errore vincibilis; & quod doceat expresse quod nos, n. 52. Conscientia erronea est ethice recta, & vera, n. 53.

Ex hoc quod admittamus in Deo leges reflexas ex suppositione nostri erroris, non sit admitendas has, Mentire, blasphema, &c. Cur? num. 54. ad 57.

Si quid horum est absurdum, sibi imputet, qui ea gratis in homine errante fingit, n. 58.

Modus tendendi legis reflexa a nobis admittitur, n. 59.

Deus ad volitionem mendacii putati invincibiliter praecepti concurrat auxilio gratiae, & est causa per se. D.D. n. 61.

Inanis Celladei exclamatio, n. 62.

Deus semper est suprema regula, ibid.

Ministri Anti-Christi peccabunt, quia operabuntur ex vincibili errore, n. 63.

Obiectum non movet, nisi ut est cognitum, n. 64. 65.

Volitio mendacii putati praecepti est obiectivè honesta ab ipso mendacio putato praecepto; est formaliter honesta per conformitatem conscientiae distantis esse nunc mentendum, n. 66.

An volitio sequens ad errorem invincibilem sit aequè honesta, ac quae ad iudicium verum? num. 67.

Objicies 1. ex P. Eliz. lib. 3. qu. 4. S. Th. N. 1. 2. qu. 19. art. 6. quaerit, an voluntas 51. concordans rationi erranti sit bona; & negat: P. Eliz. ergo actus voluntatis concordans, & sequens 5. Th. ad errorem honestatis, non est honestus. Confirmat: quia dici non potest, quod S. Thom. velit tantum, quod volitio concordans rationi vincibiliter erranti non sit bona; sit autem bona concordans invincibiliter erranti: non, inquam, dici potest, licet passim dicatur à P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 11. n. 17. P. Sanch. P. Vasqu. 1. 2. d. 60. cap. 3. n. 9. & alijs; quia P. Vasq. hoc est apertè contra S. Thom. dicentem, *Ad hoc, ut dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, si quod sit secundum suam naturam malum, si quod apprehendatur, ut malum; ut autem sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum, ait S. Doctor: ergo ut*

tur, quod omnis Ecclesiae Doctor, qui docuit sententiam probabilissimam, in re tamen falsam, eamque ad praxim deduxit; immò omnes, qui suas operationes sub illa direxerunt, sequitur, inquam, quod omnes eam practicando nihil meruerint, atque adeo cum frequens sit Thomistas inter & Scotistas dissensio, & uni tantum verum dicant, & alij falsum, sequitur, vel solos Thomistas, vel solos Scotistas honestè operari, nam alterutri errant invincibiliter; ergo alterutri non operantur honestè: hoc autem quis somniabit? Similiter sequitur, quod cum inter opiniones morales tanta sit contradictio, alterutri tantum ex Confessarijs honestè operantur, dum absolvunt; alterutri tantum ex poenitentibus recipiunt gratiam, dum absolvuntur; alterutri tantum ex Magistris, dum docent; alterutri tantum ex discipulis, dum docentur, quia alterutri tantum verum docent, & docentur. Cum autem hac absurdissima sint, absurdissimum est antecedens, ex quo inferuntur; antecedens autem est, quod sola veritas honestat actionem, error autem, etsi invincibilis, de honestate non reddit honestum actum voluntatis sub eo directum.

N. Dices ex Palanco num. 107. eos actus esse moraliter bonos, ut conformantur cum regulis veris, & universalibus Synderesis, non autem ut conformantur conscientiae erranti. Sed contra 1. quia à n. 68. docuit, esse tantum secundum quid honestos, ut conformantur regulis veris: ergo actus allati in nostro argumento sequentes ad errorem invincibilem honestatis non erunt absolute moraliter boni; hoc autem est ingens absurdum. Contra 2. quia, ut dicam, quod dirigit immediate, & proximè actum voluntatis, non est maior, nec minor ipsius syllogismi, sed est sola conclusio; hac enim sola est dictamen conscientiae: quod si conclusio, licet alterutra praemissa sit vera, dummodo altera sit falsa, est erronea, actus voluntatis ab ea conclusione, seu dictamine erroneo conscientiae directus, non erit formaliter honestus, quod est summum absurdum.

Omitto alia argumenta, quae supra innui, nempe quod si error non honestat actionem sub eo elicitam, non erit in manu hominis facere bonas vias malas, sed ad summum facere non malas, si error excusat tantum à peccato, non autem honestat, ut vult P. Eliz. & Palanc. sequela autem est contra Tridentinum: similiter non erit in manu hominis mereri per non peccatum, nam meritum supponit honestatē. Vide, quae dixi d. 5. plura alia da-

P. Teril. bit P. Teril. de Reg. mor. qu. 3. a n. 34.

P. Eliz.
Palanc.
Trident.